

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CLIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Er immermehr davon declamiren kan / so will ich gleichwohl sein Büchlein lesen / und etwas darauß lernen. Seyd Gottes Gnaden treulich befohlen. Datum mit frantzösischer Hand / den 15. Octobris / Anno 68. Salutirt Eyre Mitbrüder und Zuegendsame Haus-Ehre.

E. E.

Dienstwilliger

Wolff von Köteritz.



CLIV.

*S. D. Reverende & clarissime Domine Superintendens,  
præceptor & Patrone colende.*

**L**iteras tuas, mensē Julio & Calendis Augusti datas, una cum D. Illyrici scriptis, hodierna die 21. Novembris, Rostochii accepi. Cumque casu, tabellario Spiram & Augustam ituro, Epistolas eadem hora tradidisset: eadem occasione tibi etiam breviter respondendum esse duxi. Ego ex Austria rediens, Praga literas ad te misi, quibus de exitu illarum actionum mediocri, qui in 13. Augusti incidit, te certiores reddidi. Proceribus consilium de recipienda Episcoporum impiorum Jurisdictione nunquam dedi. Sed in colloquio cum aliis quibusdam Cæsaris consiliariis, duas vias esse conservandæ concordia dicitur, ut vel Episcopis ordinariis, si veram doctrinam amplecterentur & in suis diocesis ubique propagari & Idolatricos cultus aboleri sinerent, obedientia legitima, juxta confess. Augustanæ præscriptum redderetur. Vel singuli Magistratus in suis ditionibus similem ordinem gubernationis & gradus Ministrorum, Superintendentes & Judicia Ecclesiastica constituerent. Postea cum missis ad me Actis Synodicis Wittebergæ editis, quibus Episcopi Gurcensis nomen in fronte præscriptum erat, unus ex illis, qui etiam sex vel octo loca, in quibus Episcopis Pontificiis, si modo nostros non persequerentur, obedientia defertur, elenchis notaverat, demonstrare velle: Pataviensi Episcopo, ad cujus diocesis Austria pars maxima pertinet, ordinationem Ministrorum & Jurisdictionem Ecclesiasticam à duobus statibus Dynastarum & Nobilium Austriae, relinqui debere: modeste respondi, allegatis scripturæ dictis, quæ communionem Christi & Belial prohibent, & contrariis præceptorum nostrorum sententiis, ante & post Interim pronunciatis, me bona conscientia assentiri non posse. Itaque tota deliberatio de Superintendente & Consistorio, quod duo status suo sumptu constituere volebant, in suspensio postea mansit, & hoc solum permissum est, ut concionato-

N n

rem

remalerent, qui vocatos ad ministeria Examine exploraret, eisque testimonia daret, sed ritum ordinationis publicum non adhiberet.

De tua Disputatione, de qua proximis diebus cum collegis meis, attentius agam, & de D. Illyrici libello, quod quaris? Ego quidem propositiones tuas, pie, erudite & circumspicte scriptas esse video, & imaginem DEI in Homine, non tantum accidens, verum ipsam Animæ substantiam luce divina illustratam, & rectitudine voluntatis seu iustitia & sanctitate vera ornatam fuisse, plane nihil dubito. Ut autem cor hominis, seu substantiam, vires & motus animæ & corporis humani, per peccatum horribiliter depravatos & corruptos esse firmissime credo: Ita, peccatum quoddam esse ipsam substantiam aut essentiam hominis, dicere nequaquam velim. Et si enim addi interpretatio commoda fortasse potest, tamen verba ipsa, ut sonant, cum Norma ὁμοιωμάτων λόγων & veteris ac orthodoxæ Ecclesiæ iudicio, quæ hanc loquendi formam plane averfata est, & nostrorum præceptorum phrasibus, omnino non congruunt; ac miror ad confirmationem illius propositionis, etiam Augustanæ Apologiæ & scriptorum Philippi testimonia citari. Ut collocutio piorum fratrum, conservandæ veritatis & pacis causa, instituat, ex animo opto, ac scribam ad eos, quorum in literis tuis mentionem facis, prima occasione. Coram colloqui non potui, cum per Boemiam & urbem Dreßdam ac Berlinum recta domum contenderem. Nec literas tuas eo tempore acceperam. Nunc de D. Jacobo Andrea pacificationibus solliciti sumus, à quo superiori anno, in arce Lyaonia, scriptum Latinum, quo de conciliandis nostris Ecclesiis consilium suum explicat, accepi. In quo articulus de Libero Arbitrio & alii quidam satis perspicue & nerve ex-  
plicati, & errores cum vera sententia pugnantes, additis Canonibus, diserte rejecti erant. Nunc Germanicum scriptum multo nudius, omiſſa non modo personarum & singularium controversiarum, verumetiam omni ferè errorum in singulis articulis iudicatione & reiectione diserta, circumferri ab eo intelligimus. Antè mensem Luneburgæ à ministris Ecclesiæ subscriptionem impetravit. Inde Bremam profectus esse dicebatur. Ad nos nondum accessit. Syrmienſis Synodi consilium, in conjunctione Ecclesiarum, simbolo ambiguo restituenda, reprehendi ab omnibus: Et tamen exemplum illud, eos etiam, qui sapientissimi & moderatissimi inter nostros videri voluerunt, in formula Francofordiensi & præſenti conciliatione sequi videmus. DEUM oro, ut consilia veritatis & pacis conservandæ pia & salutaria Ecclesiæ suæ suppeditet, & nos omnes doceat & gubernet. In vicinis regnis Arctois bellum recrudescit, ac proxima die 12. Novembris, Scaniz arcem maritimam Warbergum, à Danico exercitu, cujus Dux, fortitudine & fide præstans, Daniel Ranzovius, in oppugnatione periit, receptam esse audimus. Mitto Carecheſeos libellum, quem isthic, si videbitur, prælo subijci, & emendatè exprimi, quod te facturum esse humanissime recepisti, curabis. Addidi & Imperatoris  
lite-

litteras, quibus domum dimissus sum. Bene & feliciter vale. Die 21. Novembris, qua Institutiones Juris à Justiniano Imperatore ante annos 1035. primum editæ & confirmatæ sunt.

## David Chytræus.

Retexui in itinere etiam de Cœna Domini Quæstiones aliquot, Catechesi inferendas. Nam definitionem, quæ in excuso libello extat, quidam Palatini consiliarius, à suis non improbari, Augustæ, cuidam mei principis consiliario dixerat. Video autem, Dominum Brentium & Jacobum Andream in propositione: Hoc est corpus meum, pronomen: Hoc, non ad solum panem, sed ad totum, quod sumitur, referre. Idque D. Illyricum etiam probare & imitari in Testamenti Christi explanatione apparet. Quare an prior Definitio mutanda, & hæc clausula, verbis institutionis consecratur & distribuuntur Panis, qui est verum corpus JESU Christi &c. intexenda sit, dubito. Confirmationes etiam plures & nervosiores esse optarim. Quæso igitur, ut iudicium mihi tuum significes, & pagellas, si non unâ excudendæ esse videbuntur, remittas. Adjunxi etiam literis, Jacobi Andream pagellam, in qua controversiam de Omnipræsentiâ Christi & de communicatione Idiomatum reali, ita conciliare mihi cum Wittebergensibus videtur, ut omnia, quæ prius à D. Brentio, te & aliis de Majestâte Homini Christi scripta sunt, non ambigere & obscure sed clam & aperte abjiciat & condemnet. Has literas & priores ad te Vienna datas, valde oro, ne in aliorum manus pervenire sinas.



CLV.

S. D.

**I**ngente dolore affectit me ab initio quorundam importuna audacia, & publice turbans in Ecclesia Christi, & me etiam privatim petens, neque est à me, sicut decuit, ille dolor dissimulatus, atque declaratus potius non solum justa defensione mea, sed pia quoque admonitione. Cum autem multas ob causas tacendum deinceps & quasi delirescendum intra cubiculum meum ducerem, donec transfret indignatio, recentibus modo clamoribus excitatus fui, & commotus singulari & inopinato casu, ut rursus de præsentibus malis quærelam deplorare, & verborum facere aliquid vellem, litteris, ita ferente re, ad vestram pietatem dignitatemquæ missis, quas ut in optimam partem accipiatis, enixe pero, & id confido vos esse facturos, quos de doctrina veritatis cœlestis consentientes, etiam necessitudine mecum & cum docentibus in Ecclesiis Scholisque harum regionum non vulgari, conjunctos esse, & nos

N n 2

fincc-